

tradita aperte pugnant. Quin in cit. textu crassam contradictionem notare est, longe abhorrentem a tanti Doctoris sapientia; ut secundam accipere est praeceptum Apostoli; et tamen vere fornicatio est; an enim Apostolum veram fornicationem vel suasisse vel praecepisse quis prudens dixerit?

363. *Dico IV.* Satis probabile est trigamiam in quibusdam Orientalibus Ecclesiis habitam fuisse illicitam, saltem jure ecclesiastico; licet non irritam.

Prob. 1^a. p. EX PATRIBUS Græcis. S. BASILIUS, can. 4. in epist. ad Amphiphil. trigamiam vocat *fornicationem castigatam*, h. e. ut Balsamon aliique Græci interpretantur, fornicationem non vagam, qualis est, quæ cum meretricibus promiscue exercetur, sed cum una muliere: et can. 50. *Ecclesia inquinamentum*. S. Basilio consensit S. GREGORIUS Nazianz. orat. 37. cit. (p. 650. D.) dicens: primum matrimonium lex est; secundum venia et indulgentia; tertium *iniquitas*, sive legis transgressio, ut ex voce græca colligitur; tertium enim matrimonium παραγούτιν vocat; et ex oppositione, quam facit inter matrimonium secundum et tertium. S. EPIPHANIUS vero, aliisque, dum exponunt illud Apostoli 1. Cor. 7. *mulier alligata est legi*, etc. secundas concedunt nuptias juxta Apostolum, nihil tamen unquam addendo de tertiis. Dixi: *probabile est*; tantum enim saltem merentur verba Græcorum Patrum sumpta in sensu obvio atque proprio.

364. *Nec dicas cum P. Billuart*: Si Patres illi Græci trigamiam habuissent illicitam; ergo 1^o. sibi aperte contradixissent, cum alibi non tantum secundas, sed etiam ulteriores nuptias ut licitas agnoscent, ut patet ex S. Basilio can. 4. epist. ad Amphil. 2^o. Sic damnassent praxin et fidem universalis Ecclesiæ, quod non est credibile de tantis Patribus. Nam

R. N. 1^{am}. seq. quad Patres Græcos, de quibus solis hic sermo est; licet enim nuptias secundas agnoverint licitas, ut Basilius can. et epist. cit. ubi de secundis tantum nuptiis agit; non tamen trigamiam, de qua loquimur.

N. etiam 2^{am}. seq. Nam tertiae et ulteriores nuptiae an permittendæ sint, vel non, ad disciplinam pertinet, ut manifeste probatur ex nuptiis quartis, imo ex tertiis in quibusdam casibus, in Ecclesia græca illicitis et invalidis, ipso approbante et confirmante Joanne X. summo Pontifice, ut dicetur concl. seq. Poterant igitur Orientales Ecclesiæ illicitas habere nuptias tertias, quin propterea universalis Ecclesiæ praxin, et multo minus fidem damnare voluisse censemadæ sint.

Prob. 2^a. p. Quia, licet Græci aversarentur tertias nuptias; matrimonium tamen tale nunquam dissolvisse, aut dissolvendum declarasse deprehenduntur, quod certe alias declarassent; sed impleta quinquennii poenitentia, quam imponebant trigamis, teste Basilio can. 4. cit. ratum habebant matrimonium. Res clara fit ex iis, quæ porro Basilius can. 50. cit. epist. tradit: *Verumtamen ejusmodi res, tertias nuptias, ut Ecclesia inquinamenta videmus, sed publicis condemnationibus non subjicimus*, matrimonium scilicet dissolvendo, ut volunt interpretes; cum de pœnis publicis intelligi non possit, quibus juxta eumdem Basilium can. 4. subjiciebantur, *ut quæ soluta ac profusa fornicatione sint magis expetenda*.

Nec obstat, quod Basilius matrimonia talia dicat esse fornicationem; hanc enim non stricte, sed latius sumit, 1^o. quia tales nuptias habebat saltem illicitas; 2^o. quod tertiae et ulteriores nuptiae potius explenda libidinis et concupiscentiæ causa, quam procreandæ prolis ut plurimum fieri inteligeret; ideoque trigamum indignum censuit mariti nomine, quia videlicet mariti finis esse primus debet prolis generatio et educatio; hic vero in trigamis esse communius non solet.

365. *Dico V.* Vi præsentis disciplinæ apud Græcos tertiae nuptiae non nisi in certis casibus valide contrahi possunt; quartæ vero nunquam. Casus autem, in quibus tertiae nuptiae apud Græcos contrahuntur valide, sunt, si bigami quadragesimum ætatis annum nondum attigerint, et prole careant ex priore matrimonio suscepta. Quod si annum illum attigerint, et prole habeant ex priore matrimonio, sunt prorsus ad contrahendum inhabiles; si vero prole careant, licet eum annum attigerint, adhuc ad tertias nuptias admittuntur, sed imposita poenitentia majore, quam alias trigami subire debent dum valide contrahunt. Ita Arcadius Lib. 7. de Concord. c. 29.

Jus vero illud, quo in Ecclesia græca trigami sunt redditæ inhabiles ad quartas nuptias, paulo post initia seculi X. *solemniter et aperte stabilitum* fuit auctore Nicolao I. patriarcha Constantinop. et Constantino Porphyrogenito imperatore, confirmante Joanne X. summo Pontifice, occasione turbarum, quæ ob Leonis cognomento Sapientis quartas nuptias cum Zoe exortæ fuerant, quem propterea Nicolaus segregaverat a fidelium communione, sed Sergio Papa, ad quem Leo confugerat, hujus matrimonium ratum habente, et per Legatos Nicolaum exauktorante. Qui postea in sedem restitutus, approbansque Leonis matrimonium, a Joanne X. Sergii successore simul obtinuit, assentiente Constantino Leonis ex Zoe filio, ut quartæ nuptiae nunquam deinceps possent valide contrahi. Decretum in regulæ formam Orientales Episcopi, qui ad finiendam litem convenerant, ita protulerunt sub titulo: *Tomus unionis...* Quod si quis ad ejusmodi conjugium, quartas nuptias, progreedi decreverit, ab omni cœtu Ecclesiastico exclusus esto, et ab ipso in sanctam cœdem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit; hoc enim sanctis quoque Patribus, qui ante nos vixere, visum fuit; ac nos sane sententiam reddentes apertiorem, eum velut alienum a republica Christiana abdicamus. Unde simul colligitur ratio, cur dixerim supra, paulo post initia seculi X. jus illud *solemniter et aperte stabilitum esse*; Patres enim aiunt, hoc sanctis Patribus jam ante visum esse, et se tantum apertiorem sententiam reddere. Igitur habebantur jam ante quartæ nuptiæ ut invalidæ, licet non ita aperte, aut universim aliqua lege communi ita statutum fuisse.

ARTICULUS II.

QUO JURE POLYGAMIA SIMULTANEA PROHIBITA SIT?

366. *Nota I.* Qui a tempore legis Evangelicæ pluralitatem uxorum simultaneam auderet asserere licitam, nemo fuit, nisi infamis Mahometes, ac post tremis temporibus Anabaptistæ et Lutherus, qui Philippo Hassiæ principi ut

secundam uxorem Margaretham de Saal sibi adderet, etiam consuluit teste Bossuet in Hist. variation. Ecclesiar. Protestant. Refert equidem de Valentianiano imperatore Socrates (L. 4. c. 31.) quod cujusdam Justinæ amore raptae eam in matrimonium duxerit, retenta priore conjugé Severa, utque colore aliquo incontinentiam suam tegeret, legem promulgarit, qua licet viro duas simul habere conjuges; at, ut recte notavit Baronius ad an. 370. narratio illa Socratis fabula est: duxit equidem Justinam Valentianus, sed post mortem Severa conjugis, ut probant Sylvius, et Bosco, aliisque, et commentum esse, quod ait Socrates, pluribus ostendunt.

367. *Nota II.* Tametsi certum sit Catholicis omnibus, polygamiam nunc jure divino positivo esse prohibitam; an tamen etiam jure naturali, et quo modo ab hoc prohibita sit, quedam inter eos reperitur sententiarum varietas. Juri naturali eam repugnare negat Durandus in 4. sent. dist. 31., Abulensis in cap. 19. Matth. alioque; unde inferunt 1º. Patriarchis Judæis opus non fuisse dispensatione divina, ut licite plures simul uxores ducerent. 2º. Nec peccasse quondam gentiles polygamos, nec etiam his temporibus eos, qui cum pluribus simul matrimonia ineunte invincibili legis Evangelicæ ignorantia laborant. Cæteri vero Catholici plerique polygamiam simultaneam etiam jure naturali prohibitam contendunt; licet iterum diverso modo id doceant, ut videre est passim in auctoribus.

368. *Dico I.* Polygamia, sive pluralitas uxorum simultanea est jure divino prohibita. Est de fide contra Anabapt. et Lutherum, quos ideo damnavit Tridentin. Sess. 24. de Sacram. Matrim. ubi: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Et

Prob. Christus Matth. 19. matrimonium reduxit ad primævum statum institutionis sue: atquæ primæ institutio matrimonii jure divino excludit polygamiam; ergo. *Prob. Maj.* Nam Christus interrogatus a Pharisæis, an licet repudiare uxorem, respondit negative: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhæribit uxori suæ, et erunt duo in carne una:* tum docet, quid ipse hac de re sentiat, et observari velit, ac subdit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit, homo non separat;* ergo matrimonium voluit esse deinceps unus cum una, sicut olim fuerat. Porro cum instantent Pharisæi, Moysen permisisse libellum repudii, Christus rufus revocans datam causam ad primam institutionem ait: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Et Matth. 5., Marc. 10., Luc. 16. Christus declarat eum, qui dimissa uxore aliam duxerit, moechari; unde clare colligitur, jure evangelico polygamiam esse omnino illicitam; nam ideo moechari dicitur, qui dimissa uxore priore ducit aliam, quod jam per libellum repudii vinculum matrimonii dissolvi non possit; ut patet ex cit. verbis: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.* Quod si ergo moechatur, qui dimissa uxore vivente ducit aliam, quanto magis ille, qui uxore prima retenta insuper ducit secundam?

369. *Dico II.* Polygamia etiam juri naturali adversatur.

Prob. I. Ex communi Doctorum consensu polygamia simultaneæ prohibitionem ad jus naturale referentium.

Prob. II. Ex natura matrimonii; hujus enim fini saltem secundario, qui est cohabitatio pacifica, repugnat; plures enim uxores ob zelotypiam huic sexui naturalem nec inter se, nec cum marito concordare solent; sique plures procrearentur proles, nihil prouius erit, quam ut, cum matres de suis tantum prolibus sollicite sint, una ab altera patris avertat animum, prolem alterius conetur excludere a successione in bonis, velut Bethsabea fecit, ut Salomon præferretur Adoniæ ex Haggith genito 3. Reg. 1. Unde et gravissimæ dissensiones ipsas inter proles exsurgent, siue alia ametur præ alia, vel in successione præferatur alteri.

Prob. III. Ex natura justitiae commutativæ, quæ exigit, ut servetur æquitas inter traditum et acceptum; ergo cum uxor jus in corpus suum tradere non possit viro alteri; neque viro licebit jus in corpus suum tradere alteri uxori, vel aliis pluribus.

370. *Obj. I.* GREGORIUS Papa III. can. 48. caus. 32. q. 7. definit, licere viro ducere uxorem secundam ob primæ adhuc viventis infirmitatem; ergo censuit polygamiam simultaneam non esse juri naturali contraria. *II.* Si polygamia simultanea adversetur juri nature, ergo peccarunt Patriarchæ antiqui plures simul uxores ducendo in matrimonium: atqui hoc de viris illis sanctissimis dicere nefas est, et negatur communiter; ergo.

Ad 1^{um}. R. D. A. Definit hoc ob primæ adhuc viventis infirmitatem qualemcumque N. ob infirmitatem, quæ erat impotentia naturalis et antecedens perpetua ad reddendum conjugale debitum, propter quam prima uxor non erat uxor vera, eo quod talis impotentia dirimat jure nature matrimonium C. Ita colligit Barbosa et alii ex scripto Gregorii ad Bonifacium episcopum: *nam quod proposuisti: quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis?* Nec obstat, quod simul Gregorius jubeat, ut vir ille post secundum matrimonium alat priorem mulierem: *non tamen subsidii opem subtrahat ab illa;* hoc enim non ideo, ut nota Glossa, addidit, quod infirma illa fuisset uxor vera, sed vel per modum consilii; vel dotem ei restitui voluit, eo quod propter infirmitatem sibi de victu providere non posset, aut inops, aut egena esset.

Ad 2^{um}. *respondet* Calvinus: sanctissimos Patriarchas omnino reos factos fuisse adulterii, hoc tamen ipsis a Deo imputatum non esse ad culpam, quod essent e prædestinatariorum numero. Sed falsum esse hoc Calvini responsum, licetque Patriarchas veteres plures duxisse uxores, licet polygamia repugnet juri naturæ, dabit sequens conclusio.

371. *Dico III.* Ex concessione tamen divina post diluvium usque ad legem Evangelicam licita fuit polygamia simultanea.

Prob. I. Ex SS. PATRIBUS. S. HIERONYM. epist. 83. (al. 69.) ad Oceanum. ubi: *sciebat* (Apostolus) *lege concessum, et exemplo Patriarcharum ac Moysi familiare populo noverat in multis uxoribus liberos spargere.* S. CHRYSOST. hom. 56. in cap. 30. Gen. (opp. t. 4. p. 452. C.) *Tunc, inquit, quia principia erant, permisum fuit cum duabus, vel pluribus uxoribus misceri, ut huma-*

num genus propagaretur. S. AUGUST. qui L. 3. de Doctr. Christ. c. 12. ait : *Sufficiendæ prolixi causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis*, scilicet ob concessionem divinam, *consuetudo*. Unde INNOCENTIUS III. c. *Gaudemus* de divortiis, cum dixisset nulli unquam licuisse plures simul uxores habere, addidit : *nisi cui fuit divina revelatione concessum... per quam Patriarchæ, et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.*

Prob. II. Ex ipso Patriarcharum exemplo : nam 1º. nusquam S. Scriptura arguit Patriarchas ob multiplicata simul conjugia. 2º. Imo illustria eorum sanctitati tribuit testimonia. 3º. Silens etiam de quavis eorum pœnitentia ob conjugium cum pluribus simul uxoribus testatur justos cum eis regnatores in cœlis Matth. 8.

Prob. III. Non tantum Patriarchis in lege naturæ, veluti Abrahamo, Isaaco, Jacobo, quos plures simul uxores habuisse Scriptura testatur, injuriosa est Calvini responsio ; sed etiam sanctissimis viris aliis in lege Mosaica ut Davidi.

Nec dicas cum Calvinio : Hoc viris illis sanctis imputatum non fuisse ad culpam, quod essent e numero prædestinatorum ; nam ex hoc numero Davidem fuisse certum est ; et tamen unum cum Bethsabea adulterium ipsi graviter imputatum scimus per Nathan prophetam et pœnitentiam Davidis ; licet igitur fuerint e prædestinatis viri sancti, de quibus loquimur, hoc tamen non obfusset, quo minus pluralitas uxorum sibyllana illis imputaretur ad culpam, nisi ea divina ex concessione licuisset.

372. *Obj. I.* Deus in lege naturali dispensare non potest ; ergo male diciunt licuisse tunc polygamiam simultaneam ex divina concessione. Omissis aliorum responsis, quæ pro suo de jure naturali systemate afferunt,

R. C. A. et N. suppos. quod Deus concedens pluralitatem uxorum ante legem Evangelicam tunc dispensarit in jure naturali, quia casus ille, quo Deus concedet pluralitatem uxorum, nunquam objectum fuit alicujus legis naturalis prohibentis. Pro quo plenius intelligendo

373. *Observa sequentia :* 1º. Lex naturalis absolute immutabilis est et indispesabilis ; est enim ordinatio divinæ voluntatis per rectam rationem promulgata circa actiones et omissiones creaturarum rationabilium, ad rectam constitutionem et felicitatem reipublicæ divinis perfectionibus conformem necessaria. Sicut igitur ipsæ divinæ perfectiones, ad quas manifestandas omnis natura rationalis ordinatur, semper eadem sunt, et immutabiles, ita etiam leges latæ ad divinarum perfectionum normam. 2º. Legum tamen naturalium in se plane immobilium aliae versantur circa actus, qui attingunt materiam nullius alterius juri nequidem divino subjectam, ut blasphemia, mendacium, etc. Aliæ e contra circa actus, qui materiam attingunt in jure alterius positam, humano, vel saltem divino ; sic bona fortunæ in certis casibus etiam potestati humanæ, bona vitæ, corpora humana divino juri subjecta sunt. Unde sequitur multas materias ex aliena voluntate, cuius juri subditæ sunt, ita immutari posse, ut objectum legis naturalis etiam negativæ et prohibentis nullo modo constituant. Sic rem alterius sibi sumere, vel bona fide acquisitam retinere post cognitum etiam domi-

num lex naturalis prohibet ; non tamen prohibet hoc pro iis circumstantiis, quando illud sit ex consensu illius, qui plenam habet de illa re disponendi facultatem. Sic non obstante, nec mutato, et sine dispensatione in lege naturali *non occides*, licet Abraham immolare voluit filium suum habita jussione Dei, qui vitæ et mortis Dominus est. Nimis lex naturalis non comprehendit, nec prohibet retentionem rei ex consensu illius, qui de ea disponendi facultatem habet ; nec occasionem justam, qualis est, quæ jussione Dei sit. Ita in nostro casu : lex naturalis prohibens polygamiam nūquam comprehendit vel prohibuit pluralitatem uxorum pro iis circumstantiis, quibus Deus, in cuius plenissima potestate et dominio sunt corpora, eorumque jura, etiam in ordine ad conjugales actus, de illis disponet aliter, et jus unius in corpus dividet inter plures.

374. *Inst. 1.* Nusquam legitur in Scriptura aliquid de facta a Deo concesione plures simul uxores ducendi ; ergo.

R. Eam S. Thomas p. 3. q. 63. a. 2. ait factam esse per internam inspirationem Patriarchis populi Israelitici, et per ipsos aliis, cum non sit credibile, tantos viros in Scriptura adeo laudatos in perpetuo vixisse adulterio. Tempus vero concessionis hujus quod concernit, probabilius facta videtur ipsi Noe non diu post diluvium, ab eoque communicata posteris, ipsis demum gentilibus ; tunc enim illam poscebat magis propagandi generis humani necessitas, cujus octo tantum animæ erant superstites, etasque hominum esset brevior, quam ante diluvium.

375. *Inst. 2.* Mulieres posteriores in Scriptura *concubinæ* appellantur ; ergo conjugium cum his non erat verum, sed adulterium.

R. D. A. Appellantur concubinæ eo sensu, quo hodie ea vox usurpatur, scilicet pro scerto aut uxore non legitima N. quia solum ad generationem prolixi, non autem ad gubernationem domus, ac alia admittebantur C. Duo tunc genera uxorum erat : quædam non solum ad generationem prolixi, sed et gubernationem domus, et bonorum communitatem admittebantur, quæ antonomastice uxores dicebantur, etiam domine et matresfamilias erant, earumque liberi hæredes : quædam solum ad generationem prolixi, quæ *concubinæ* dictæ, licet essent uxores legitimæ. Colligitur ex 2. Paralip. 11. v. 21. ubi de Roboamo legitur : *Uxores decem et octo duxerat, concubinas autem sexaginta.* Et Gen. 25. *Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac : filiis autem concubinarum largitus est munera.* Utrumque genus uxorum distinxit etiam Gellius L. 18. Noct. Attic. c. 6. Preterea in Scripturis, quæ concubinæ dictæ, etiam uxores appellantur. Sic Gen. 16. Sara ancillam suam Agar viro suo *uxorem* dedit, quæ tamen Gen. 23. inter concubinas numeratur. Et ibid. dicitur Abraham aliam duxisse uxorem Cethuram, quæ postea concubina dicitur. Sic Jud. 19. de Levita dicitur : *Accept sibi uxorem concubinam de Bethlehem Iuda.*

376. *Inst. 3.* Salomon 3. Reg. 2. ob multitudinem uxorum reprehenditur ; ergo illicite egerat eas assumendo.

R. D. A. Præcise ob multitudinem N. ob nimiam, et præsertim, quia

alienigenas et idololatras assumpserat, per quas depravatum est cor ejus, ut sequeretur deos alienos C.

377. *Inst. 4.* Judæi Joan. 8. dicunt: *Nos ex fornicatione non sumus nati:* quod idem est, ac si dicerent: nos ex Agar concubina Abrahæ nati non sumus; sed ex Sara uxore ejus legitima; ergo.

R. 1^o. Judæos hic non carnalem, sed spiritualem fornicationem, sive idololatriam intellexisse, quæ sœpe Scripturæ pharsi fornicatio dicitur; perinde ac si dicerent: Nos idololatre non sumus, sed unum verum Deum colimus; non enim ex majoribus, qui idola coluerunt, genus ducimus, sed ex Abrahamo veri Dei cultore. Colligitur ex contextu; prius enim dixerant: *Pater noster Abraham est;* post verba autem: *nos ex fornicatione, etc.* statim subdunt: *Unum patrem habemus Deum.*

R. 2^o. Si permittatur etiam, Judæos de carnali fornicatione locutos fuisse; non tamen inde sequetur, quod præcise fornicationem Abrahæ cum Agar intellexerint.

378. *Inst. 5.* S. AMBROSIUS tamen Lib. 1. de Abraham c. 4. (opp. t. 1. p. 290. et seqq.) videtur supponere, illius tempore polygamiam nondum fuisse licitam, quia rationibus omnibus conatur Abrahamum defendere a culpa adulterii, quod nondum esset lege prohibitum, quod de consensu Saræ et posteritatis, non libidinis causa fecisset; quod de eo facto, commixtione cum Agar poenitentiam egerit. Item S. AUGUSTIN. L. 2. contra Faustum c. 30. et alibi Manichæis objicientibus crimen Abrahæ respondit, eum excusandum esse, quia non libidine, sed proliis gratia, et cogente uxore fecerit. Denique S. LEO epist. 2. alias 92. ad Rusticum Narbonensem distinguit inter uxorem et concubinam; confirmatque distinctionem exemplo Saræ et Agar, ac concludit, virum non committere polygamiam, si, postquam concubinam duxisset, duceret uxorem aliam. Supponit igitur Agar non fuisse uxorem Abrahæ legitimam.

Ad 1^{um}. R. N. A. Licet enim S. Pater ab initio videatur supponere peccatum aliquod afferendo rationes minus probabiles, ob quas excusaretur Abraham, eum tamen tandem excusat ex hac ipsa ratione, quod Deus Abraham id concesserit in mysterium: *peccatum non fuit,* inquit ibid. *sed mysterium;* illud nempe, quod Paulus exponit c. 4. ad Gal. *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, unum de libera.* Nimis oratorum, quorum more hic locutus est Ambrosius, id proprium est, ut ante minus validas, post validiores et graviores rationes proponant.

Deinde prima et secunda ratio non subsistit; si enim nulla lex prohibebat adulterium, quare Abraham dicitur egisse poenitentiam? Reversa tamen semper lege naturali prohibitum fuisse adulterium, et hanc legem a nemine invincibiliter ignorari posse, idem fatetur Ambrosius Lib. eod. c. 41. sola igitur ultima ratio S. Ambrosii vera et firma est; atque ita, quod ex se peccatum fuisse, ex divina concessione non fuit.

Ad 2^{um}. R. Manichæos objecisse Patriarcharum in plurimum uxorum usu libidinem et petulantiam; satis igitur Augustino erat ostendere, Manichæos

falsum loqui, eo quod Patriarchæ *non libidine carnis, sed posteritatis amore* ad plures uxores accesserint. Cæterum eos non peccasse docet alibi Lib. 22. cont. Faustum c. 47. ac Lib. 16. de Civit. c. 38. quod tunc *multiplicandæ posteritatis causa eos nulla lex prohiberet*, nimis ob concessiōnem divinam; nam alias eos prohibuisset lex tum naturalis, tum divina teste Christo Matth. 19.

Ad 3^{um}. R. S. Leonem, dum hic concubinam pro uxore non legitima accipit, per concubinam intellexisse mulierem servam, cuiusmodi fuerat Agar; atque solum asserit matrimonium cum serva contractum ab ingenuo, esse invalidum, ut revera erat seculo V. vi juris ecclesiastici solius; nam vi naturalis nunquam fuit. Quare ad exempli de Agar a S. Leone allati veritatem satis est, Agarem ancillam fuisse Abrahæ, quod est verissimum; non vero necesse est, ut eadem uxor non fuerit.

379. *Obj. II.* cum Luthero: Juxta S. Augustinum ideo Jacob aliique Patriarchæ polygami excusandi sunt ab adulterio, quod polygamia tunc esset consuetudinis, nec adversaretur legi alicui; ergo. *Prob. Ant.* Nam L. 3. de Doctr. Christ. c. 12. inquit: *sufficienda proliis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo.* et L. 16. de Civ. cit. quod *eos nulla lex prohiberet.*

R. ut ante, laudatum Patrem et alios ita loqui, quod per concessionem divinam vis legis evanisset: innoverat autem illa concessio per specialem revelationem Patriarchis, eamque ab iis hauserant eorum posteri, ita ut apud eos ad Christum usque in consuetudinem abierit, juxta verba illa Innocent III. *Quæ dispensatio vel concessio, mos quandoque, interdum etiam fas censemur.*

Ex disputatis hactenus inferes, a fortiori juri non tantum divino, sed et naturali polyviriam adversari, utpote quæ matrimonii fini non tantum secundario, sed etiam primario, et a natura præcipue intento, videlicet generationi, et bonæ educationi proliis repugnat. *Generationi*, quia hæc per commixtione cum pluribus impeditur, ut vel nunquam, vel certo rarius subsequatur, veluti patet in meretricibus. *Bonæ educationi*; cum enim proles in commixtione mulieris unius cum pluribus viris incerti sit patris, nullus ex viris eam tanquam suam teneretur agnoscere, saltem non ita diligenter; proinde inde neque curaret, ut bene educaretur, quod tamen patris præcipuum est officium. Quo tamen non obstante, uti communior, sic probabilior videtur sententia auctorum negantium, etiam polyviriam esse jure naturali absolute et sub omni specie prohibitam, ita ut nunquam licere possit, nec eam Deus etiam de potentia absoluta concedere; cum sub iis fieri conditionibus possit, ut predicta mala evitentur, corpus vero mulieris æque dominio Dei, quam corpus viri subjectum sit, adeoque nihil impedit, quominus jus in corpus mulieris æque inter plures viros, quam jus in corpus viri inter plures mulieres dividere possit. De quo plura videri possunt apud Pichler, Schmalzgr. de Spons. duorum, aliasque.